

Bernardi Iustiniani Patricii Veneti Senatorii Equestrisq; ordinis uiri
amplissimi oratorisq; Clarissimi De origine urbis Venetiarum: rebusq;
eius ab ipsa ad quadringentesimum usq; annum gestis Historia.

PROOEMIVM.

OLENT pleriq; historiae cupidores: Quibus uenetiarū
urbem uidere: aut de ea aliquid audire contingit uehemen
tius admirari: Quæ nam tam noua insolensq; ducendæ ui
tæ ratio: homines terra natos: campestribus locis assuetos
induxerit ciuitatem cōdere inter paludes. Fuisse etenim ali
bi urbes in aquis sitas: & legimus & audiuius: Vt Tyrū
apud Phoenices: Iustinopolim apud Histros: Cyzicum in Asia. In Galli
is autē eiusdem nominis Venetos oppida habuisse cōsimili situ Cæsar de
scribit. Sed ad eas omnes ex continenti: lingulis quibusdam erat accessus
ut terram omnino reliquisse non uiderentur. Mediis autem in aquis urbs
constituta: nec uisa unq; nec audita. Maiorē autem interdum admiratio
nem excitat loci difficultas & insolentia: q̃ operis magnitudo: ut pons il
le lapideus pertrāsuerum pelagus a Baiis ad puteolos ductus. Aut ægy
ptiæ quoq; Pyramides: quarum tamerſi moles & altitudo sese admiran
dam præbeat: non tamen illud minus q; ingentia illa saxa unde sint com
portata: uix bene percipi possit: Cum omnia circūquaq; harena contexta
sint. Adde ciuitatis quoq; amplitudinem. quæ diuturnitate libertatis: &
rerum gestarum gloria: nec non sanctissimarū legum institutis: inter pri
marias omnium seculorum annumerari potest. Sic. n. sine cuiusq; iniuria
loqui libet. Placuit itaq; facere huic cōmuni desiderio satis: & insolitæ hu
ius originis causas in lucem proferre. Nō ut in Riualti primis quasi semi
nibus conuiescamus unius insulæ tenuis atq; pusillæ: Sed ulterius pro
grediamur causasq; retexamus huius condendæ quam uidemus ciuitatis.
Quibus uidelicet adacti rerum conuersionibus tot mortales: aut ui com
pulsis: aut certo iudicio adductis: primum ceteras insulas & littora tenuer
int: Demum plerisq; aut desertis aut relictis cōuenerint in unam quæ ad
iustam Ciuitatis mensuram redacta caput esse cæpit & princeps uenetia
rum: ut per annos octoginta supra. ccc. tantis Italia imperiūq; malis (cæ
terarum, n. gentium clades nobis omittendæ) tum a barbaris: tum ab he
reticis laborauerit: ut præter Theodorici gotthi annos: quibus Italiam te
nuit: nulla pene unq; illis sit requies data. Q ui labores tamē a multis mā
dati memoria: utinam eo ordine Scriptorumq; concordia: atq; ea tam re
rum q̃ temporum ratione quæ satisfacere legenti possent: ad ea præsertim
quæ indaganda apertiusq; declaranda suscepimus. Sed multa cōfusa ob
scura & male inuicem compacta inconditaq; falsa quædam etiā & quod